

bepectorea endemia per Angliam & Hiberniam infantibus
 præcipue familiari ac sæpissime lethali, ut plurimum hepar su-
 pra modum auctum, imò duplò & triplò ferme majus se repe-
 risse testatur *Arn: Bootius in observ: med: de affectibus omissis p. 32.*
Sc. Arbitratur verò illic autor, quòd malum hoc partim hæ-
 reditarium existat, partim verò à matre aut nutrice in victu
 multum peccante proficiscatur; cùm vinum, cerevisiam for-
 tem, vel aliam siceram & aquam vitæ crebrius ac largius in-
 gurgitent. Suspicio tamen malo illi complicato præter hære-
 ditariam labem diætæque errorem accusatum non ultimam,
 manum imponere carbonum vel cespitis fossilis fumum aërem-
 que minùs alioquin illic salubrem à quibusdam pronuntiatum.
 Præter allegata illa autor modò citatus hepatis incrementum,
 etiam in Phthisi seu pulmonum tabe crebrò se deprehendisse
 evulgat, hujusque causam aliqualem illic annectit. Non satis
 colligo mentem *Casp. Hoffmanni ex ipsius tr: de medic: officinal:*
in præfat: consignatam; ubi tradit quod spiritus vini tam sit
infestus hepati, ut duarum triumve mensium spatiò colliqua-
tione introducta hydropem fecerit, quæ omnibus funesta tue-
rit. Asserunt autem non pauci auctores, quod ex ficibus pro
 animalium sagina adhibitis magnopere augeatur hepar, unde
 etiam Ficatum pro hepate solo, licet non ab iisdem ortum atq;
 auctum sit, usurpatur, de quo *Thom. Reinesius in var: lect: l. 3. c.*
a. p. 394. Joh. Bapt. Porta in Mag: nat: lib: 14. c. 6. p. m. 509. Sc.
 Porrò quod Ficatum *σικωτόν* Italis Fegato pro hepate à sagina
 ficuum factò vel aucto, aut pro quovis jecinore accipiatur in-
 dicat etiam *Carol: du Fresne in Glossario ad Scriptor: Med: & infim:*
Latinitat: sub voce illa p. 423. adde sis de voce Ficati Jac: Pancr:
Brunonem in Castelli Lexic: renovat: sub voce illa. Olim etiam
 Athletas ficibus fuisse usos antequam exercitatos eos Pythago-
 ras ad carnis usum, tanquam fortiorem cibum transtulerit,
 meminit *Reinesius l. a. lib: 2. c. 8. p. 201.* De iisdem etiam vi-
 deatur *Lud: Nonnus de re cibar: l. 1. c. 40. p. 124.* Quod ficuum
 usus robustos reddat homines & impingvet, sed simul sudorem
 abominabilem pariat, non impugnat *Jul: Cas: Baricellus in hort:*
genial: p. 214. Casp. Hoffmannus l. a. lib: 2. c. 90. p. 227. & cap. 91. p.
 232.